



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

4. S. Monica Mater S. Augustini

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## III.

**U**Nde tanta nobis difficultas in S. Cruce? fortè, quia nimis molli- ter, delicatè, & sensualiter vivimus. Si hoc: Non crux est, quod affligit, sed scelerata, & vitiiis scatens vita. Hanc deponamus; & omnis evanescet difficultas tempore tribulationis. Quod affligitur, corpus est! Quod triumphet, anima. Illi verbera debentur. Huic cœli gaudia.

*Instructio meritoria.*

Cum S. Ecclesia hodie gaudeamus, & ut Deus mittat in scelestum hunc mundum viros à patientia, fortitudine, & constantiâ celeberrimos, hymnum ore- mus: *Vexilla Regis prodeunt &c.* cum SS. Rosario de Mysteriis dolorosis. Tan- gamus rosas, & spirabimus odorem.

Festum S. Monicæ Divi Augu- stini Matris zelosissimæ.

## EXHORTATIUNCULA I.

**E**cclesia sancta quid non debet Bea- tissimæ Monicæ? Quid non & tota insignis Augustiniana familia? Ecclesiæ  
dedit



dedit Doctorem, & malleum hæreticorum. Huic Patrem, & Magistrum pro millenis animabus vigilantissimum. Fili! gaudeamus ergò in S. Monica, ne deserat nos in ultima mortis horâ.

*Instructio meritoria.*

Necdum cessant hæretici. Sed ubi Augustinus? En! Hujus sanctam familiam! Ut crescat in spiritu sui Patris, & Matris, hodiernam communionem offeramus, cum operibus totius diei, & in venerationem S. Monicae exosculemur centies Benedictum illius Cingulum, Hoc stringimur, & jungimur Sanctis, & Deo.

II.

**F**ili! ô quàm aridi, & sicci sunt oculi nostri! Peccavimus multum; & tamen nec gutta cadit. Quis fontem obstruit? Proprius amor, & vitæ superbia. O qualia hæc ad agendam poenitentiam obstacula! Dirumpamus, & necessitatem, ac cordis ariditatem S. Martine Monicae filialiter pandamus, atque commendemus. Mater est multorum, & nostrum.



*Instructio meritoria.*

Ut nobis servemus, hujus sodalitati sub titulo sacri Cinguli (si nondum de eo participamus) inscribi petamus, & 33. *Pater & Ave* recitemus cum oratione de Festo. Solamen est S. Monicae, discipulos habuisse lacrymarum.

## III.

**S** Monica ubi cognovit, Filium suum Ecclesiae noviter natum, exultavit dicens ad S. Augustinum: *Ah! libenter jam morior fili mi! cum nihil sit amplius, quod in terris requiram.* Sic loquuntur zelosae animae! Dico & ego: Fili! vivimus in sinu, & sub custodia Romanae Matris: Quid ultra poscimus? Aliud non, quam & hujus mori fide sanctissima.

*Instructio meritoria.*

Grati jam sumus, quod à Christianis parentibus huic mundo dati, & tam sollicitè educati in doctrina catholica, hodie manè, & noctu dicamus *Te Deum Laudamus cum 12. Pater & Ave* in honorem SSS. Trinitatis. Nihil turpius! nihil



hil abominabilius ingrato, & immemori animo.

## Festum Sanctissimi Pii V. Pont.

Max. ex Ordine S. Patris Dominici.

### EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! verè datus est orbi hic sancti Dominici Filius ad conterendos Ecclesiæ hostes; & ad reparandam Dei gloriam, etiam ab ipsis Christianis sordidè neglectam. O si haberemus plures ejusmodi Pios! Habebimus, si bonis moribus, studio virtutum, & SS. Ecclesiæ præceptis omnem impenderimus conatum, & operam. Sic statuamus!

### *Instructio meritoria.*

Pro omnibus in vinea Domini constitutis operariis, ut verbo, & exemplo Ecclesiæ producant fructum centesimum, *Lytanias de omnibus SS. oremus, Nomenque S. Pii interponamus, per diem sæpius coram Crucifixo genuflectendo cum gemitu: Te ergò quaesumus, tuis famulis subveni &c.* Hic sanguis clamat ad nos.

II. Ho.